



Catalogus disert.

1. Jo. Aug. Ernesti
 1. de fide historica.
 2. de difficultatibus Novi T. recte inter-
 pretandi.
 3. de templo Herodis. n.
 4. de vanitate philosophantium elo-
 5. de vestigiis lingua hebraica in lingua
 græca.
 6. de theologia historica & dogmatica
 coniungendo necessitate.
 7. de libertate iudicandi in causa reli-
 gionis.
 8. de doni linguarum natura ad illustra-
 tio[n]em. xxi.
 9. de vera respectu eccl[esi]atum et seu
 retinaculum ad ep[ist]ol. I. 10.
2. D. J. S. Sommer
 10. de liberali doctoris s.s. provincia
 11. M. P. F. Gruner
 11. de uter Christus imago dei inuincibilis
 ad 2 Cor. III. 4. Colos. 1. 15. Hebr. 1. 3.
 12. Spiritus apostolorum Iesu & magister
 argens mundum ad Ioh. xvi. 8 - 11.
 13. Iesu Christi, quam in sententiam est,
 et dici legislator nouus posset.
3. F. E. Schleitz
 14. de iis qui primicias spiritu accepérunt
 ad Rom. VIII. 22.
 15. Explicatio capitulo XI. Pauli ep[ist]ol. ad Rom.
 2. Sam. Sac. Baumgarten.
4. C. L. Wederlein
 16. de origine rituum ab hominibus in leue
 pila non obtinenda;
 17. ob[er]g. ad Illustrationem XII. T. ex pro-
 fici.
5. C. A. Wederlein
 18. de vero usq[ue] atque abusa rationis hu-
 manae in rebus divinis.
7. D. Gott. Litt.
 19. de doni linguarum indole
 20. de filio hominis
 21. Sententia iudiciorum de missa &
 de suo regno.
 8. Franc. Volkmar Reinhard
 22. vitram ad audicium de miraculis requi-
 ratur cuiusque nature accurata cognitio
 9. Ernst. G. Wernicke
 23. de amen liturgico.
 24. Iudicium de nonnullis dubitationibus
 contra rel. Christi.
10. J. Boni. Roppe
 25. quid sit & erat enim ergo Episcopus et quid
 est recteponor 2 Thess. II. 13-17.
11. D. L. C. Loeber
 26. Vindicia uirtutis divinae in morte Annae
 ad tot. I. 1-11.
12. F. Andri. Stroth
 27. de vera uictorie 1. Th. IV. 3.
13. D. C. C. Tittmann
 28. Desus deus & servator in ev. Ioannis de
 monstratur.
14. D. C. G. Robert
 29. causa bellorum forentium aduersari Lan-
 nae gesti. Vacant multa
15. C. D. Beck
 30. Specimen historie bibliothecorum alexan-
 drinarum.
16. C. L. Gerling
 31. doctrina de summa atq[ue] altera Depe
 Christi diuinitate.

Jouanne.
N°. 129.
2.

PROLVSIO
DE
VESTIGIIS LINGVAE HEBRAICAE
IN LINGVA GRAECA
PRAEMISSA
ORATIVNCVLIS VI
IN
SCHOLA THOMANA
A. D. IX. MAII HOR. IX. A. CICIDOCCLIII.
RECITANDIS
AD QVAS AVDIENDAS
PATRONOS ET FAVTORES
HUMANISSIME INVITAT
RECTOR
IO. AVGVSTVS ERNESTI

2

17. JUNI 1900

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-672273-p0004-1

DFG



In controvērsia ea, quae viris doctis intercedit de genere
scribendi, quo viri diuini vī sunt in libris sacris,
sitne satis simile ei, quod graeca veritas usurpauit,
et ab hebraismis purum, nec ne, defensores puri-
tatis saepissime pugnant auctoritatibus poetarum.
His contrariae sententiae auctores, Gatakerus in primis, Mo-
fesque Solanus, ita occurunt, vt dicant, multa esse in poetis
abhorrentia a vulgari consuetudine loquendi, quam sequantur
scriptores populares, eamque ob cauſam non esse consentaneū;
vt, si cuius Φράτεως, scriptoribus Θεοφύλακος frequentatae,
hebraicaeque consuetudini similis, vnum et item alterum exem-
plum in poetis graecis reperiatur, ea pure graeca, et ab scripto-
ribus bene grecce scribentibus potius, quam ex hebraico ser-
mone ducta putetur. Eam rationem etiā non repudiauerim;
tamen non omnino mihi satisfacere fateor, etiam propter mul-
titudinem exemplorum, quae in eo genere proferuntur. Altius
repeti refellendi ratio potest, vt opinor, atque sic comparari,
vt etiam in alio genere exemplorum repudiando profit, quo illi

A 2

in

IV

in puritatis defensione vtuntur. Quae vt intelligatur, animum induxi, quaedam hoc tempore disputare vniuersitate, de vestigiis linguae hebraicae, quae mihi visus sum deprehendisse impressa, non modo in poetis graecis, sed etiam in aliis scriptorum generibus. Ea disputatio erit tripartita. Primum ostendam, in antiquissimis optimisque graecae linguae auctoribus iis, qui populari oratione vtuntur, esse quaedam, quae videantur e confuetudine hebraica ducta esse: veniam deinde ad poetas, in iisque, non abhorrens esse, differam, quasdam agnoscere veteris hebraicae linguae reliquias: desinit denique disputatio in scriptoribus iis, qui sublata libertate Graecorum, maximeque, imperantibus primum in Oriente Graecis, deinde Romano imperio ad easdem partes propagato, et Christiana denique religione constituta, vixerent. Eius autem rei consilium mihi inieatum est nuper, cum interpretatione libelli, quem Plutarchus de discrimine Amici et Adulotoris scripsit, instituta, venisset, ad locum, vbi adulator dicitur imitatione morum institutorum que captare benevolentiam hominum, τῷ μὲν συνορχέμενος τῷ συνάδων, τῷ δὲ συμπατλάνων, καὶ συγνοιέμενος etc. vbi Plutarchus, de more suo, verbo vulgari συμπατλάνων iunxit eiusdem significationis verbum aliud exquisitiū συγνοιέσθαι: quod ita simile est hebraico בְּנֵי ו בְּנָתָר, vt ad eius similitudinem factum videri possit. Nam hebraicum illud, quo usus est Moses Gen. XXII, 25. 26. quodque vertitur ab Alexandrinis Interpretibus πατλάνων, proprie est in puluere volui, eaque de causa ab Aquila, proprietatem verborum diligentissime secuto, itemque a Symmacho, per κυλίεσθαι explicatur. Sed rem, vt proposuimus, aggrediamur.

Primum igitur, qui veteres illos Atticos Oratores, Historicos, cererosque profaicos scriptores. attente legant, si hebraismi non sint proorsus imperiti, passim animaduertant formas dicensi, quae ita similes sint hebraicis, vt vix dubitare liceat,
quin

quin ex his sint expressae. Non mea vnius, aut primi, ista obseruatio est atque opinio, sed multorum ante me, nominatim Marklandi V. C. ad Lysiam p. 549. vbi, prolati e Lysia exemplis formulae μετά τινος εἴναι subiicit: *Et hinc intelligitur phrasis ista, quae in Nouo Foedere toties occurrit, ut Io. VIII, 29. Att. X, 38. quam locutionem ab Hebraeis forte, ut innumeras alias, mutuati sunt Graeci veteres.* Quos ille vniuerso nomine appellat, intelligit, vt opinor, maxime Atticos illos veteres, quibus id certe commune est cum ceteris, de quibus post dicetur. Atque illa obseruatio saepe perutilis esse potest, in sacris libris, vbi non raro haerent viri docti in formis hebraicis, aut iis respondentibus graecis interpretandis, dum nimis verba singula amplectuntur: facile se expedituri, si earum vim comparatione cum graecis reperire didicissint. Vno exemplo, sed luculento, defungemur. *Quomodo torserint Interpretes verba Mosaica Gen. XLIX, 10. רְגִלּוֹן מִבְּנֵי, nemo est, qui sciat.* Eius rei nulla alia cauſa est, niſi vulgaris illa et puerilis interpretatio verborum, ab Aquila orta, ἀπὸ μεταξύ ποδῶν ἀντέ vertente, quae in vernacula inprimis nostra, aliquid sonare videntur amplius, quam in linguis mortuis significant: quanquam et Hebraeorum magistri olim similia nugati sunt, dum vocum singularium propriam vim nimis retinent. Quanto facilius verum sensum, omni argutatione vitata, viri docti reperissent, si Graecos consuluissent, qui istam formam dicendi, כָּרְגִּילּוֹן וּבְנֵי ad verbum suo sermone exprimunt, valdeque frequentant. Plato in Theagene T. I. p. 123. A. εἰ τῶν ποδῶν ἀποχωρήσομεν: et Xenophon Sympos. c. 4. §. 51. εἰ ποδῶν ἀπέρχονται. Id autem nihil est amplius, quam, quod latini dicunt, e medio discedere, sive simpliciter, abire, vt εἰ ποδῶν, sive εἰ ποδῶν γίνεσθαι, discedere e conspectu, vel mori, et εἰ ποδῶν ποιεσθαι, tollere, amouere, et multa alia similia. Neque id modo absoluto dicunt, sed etiam cum genitivo, ne vila dubitatio reliqua sit: vt Xenoph. Cyrop. V. p. 52. 16. ed. Steph.

VI

sec. ὅσα ἐνοχλεῖσθαι ἔστιν, τέτοιν ἐν ποδῶν ἡμεν, quaecunque
incommodum afferre possunt, ab his aberamus. Nemo in græca
hac forma vñquam haereat mediocriter græce doctus. Qui e
verbis ἐν ποδῶν aliquid exprimere amplius vellet, quam dixi,
vrgens verborum proprietatem, pueris risum moueret.

Hebraeorum mos est, homines exprimere per partes cor
poris, quarum qualiscunque sit coniunctio cum ea re, quae iis
tribuitur: idque cum faciunt, nihil de ipsis partibus cogitant,
sed totam personam animo continentur, sicut, qui latine appell
ant aliquem carissimum caput aut pectus, nihil de ipsis partibus
admodum cogitant, sed de toto homine, vel maxime animo
eius. Quod ignorantes vulgo homines, aut non cogitantes,
non modo inepte formas illas loquendi verterunt, sed etiam
ex iis emphases, ritus, nescio quid non, exsculpere. Act. V, 2.
Ananias pretium venditi praedii ἔθνε παρὰ πόδα τὸν ἀποστο
λων, tradit Apostolis, non, apud pedes Ap. posuit: nec fecit
hoc latino sensu, nec id cogitauit Lucas: sed, si tamen quid
amplius desideres, custodie curaque Apostolorum, ait, tradi
disse et mandasse, vt Paullo uestes ii, qui Stephanum lapidabante
Act. VII, 58. ἀπέθεντο τὰ ιπάτια παρὰ τὴς πόδας Σωύλ: vbi
vertendum erat, Saulo uestes mandabant custodiendas, vt pater
ex Act. XXII, 20. ducta forma loquendi e Gen. XXX, 30. vbi
Iacobus Labani dicit: te Deus auxi^{תְּלִיל}, cura mea, per me,
non, ad pedem meum. Atque ad hanc rationem explicandum
erat illud de Paullo, παρὰ τὴς πόδας Γαμαλὴλ ἀνατέθησαμένῳ
Act. XXII, 3. educato cura Gamalielis, sive simpliciter, apud
Gamalielum, non, vt compilatores antiquitatum hebraicarum,
et interpretum quidam volunt, ad pedes, quod discipuli humili
sederint apud Hebraeos, magistri in loco et sede editiori, vnde
de etiam vulgo hodie, cum aliquem volunt dicere discipulum
alterius suisse, ad pedes eius sedisse, etiam in vernacula nostra,
haud bene dicunt. Martha quidem Lucae X, 39. προκαθίσα
παρὰ

παρὰ τὸς πόδας τὸς Ἰησοῦ ἡμεῖς τὸν λόγον ἀντεῖ, non prosectorum humi sedens, cum Christus loco editiori sederet: ridiculus sit, cui tale quid in mentem veniat: sed sedens prope Iesum: sicut Attici, qui hoc genus loquendi modo quoddam imitati sunt, ἐν ποσὶ, πέδῳ ποδῶν, atque etiam παρὰ πόδας dicunt esse praesentes res, personas, quod sciām, nunquam. Itaque, si de personis occurrat, sane non sit simplex periphrasis praesentiae, ut nec in illo Ciceroniano pro Cuent. 13. ante pedes triumviri Manilius constituitur: ubi sāne ad fedem triumviri loco editiori respicitur. Quam rationem interpretandi firmant scriptores diuini ipsi, cum formae isti substituant nomen personae, ut Paulus 1. Cor. XV. eodem verbi iungit ὑποτάξει υπὸ τὸς πόδας ἀντεῖ, quod exprimit hebraicum יְלֵבֶת תְּרֵבֶת et Ps. VIII. et ὑποτάξει ἀντώ. Act. V, 9. οἱ πόδες τῶν Θαψάρτων, ii, qui sepeliuere maritum tuum, etiam Hebreus, latine peritus, vertat, non pedes eorum, qui etc. Rom. X, 15. οὐσίας οἱ πόδες τῶν ἐναγγελίας: quam incundi sunt nuncii pacis, non pedes nunciorum, qui suaves esse non solent. Sed satis circa pedes illos hebraicos haesimus: aliarum partium exempla adiungemus, quoniam in huius rei mentionem incidimus. Masius ad Iosuae I, 8. merito ridet eos, qui argutati sunt in verbis, non recedat liber legis קְרַב אֲלֹמָת, ut οἱ ὁρτοῦνται, quasi ad docendi officium pertinenter, ob mentionem oris, cum nihil aliud sit, quam periphrasis personae, ut cum labia sacerdotis, sine vila emphasi, pro sacerdote dicuntur. Quae per ministerium alterius sunt, in iis personam περιφέρεσσι per manum, ut בְּנֵי ἐν χειρὶ των fieri dicantur, quae sine vila manuum opera, sed ore, verbis, pedibus, quoconque denique modo fiant, ut Act. X, 12. 41. etc. Vnum addam ex Hoseae vaticiniis II, 4. quo maxime illustratur locus Mosaicus, ab initio positus. Meretriciam libidinem, inquit, מִפְנַח הַלְּבָד remouebo, εἰν προσώπῳ ἀντῆς, et adulterium שְׂרִית מִבְנֵי μέσῃ τῶν μασῶν ἀντῆς. Sicut hic nihil aliud est, nisi ab ipso; non enim vereor,

ne

VIII

ne quis etiam hic scrutari, et inuestigare abditam aliquam emphasiā, vt in pedibus Iudee velit: sic in Mosis verbis יְלִי nihil est, quam *ab ipso*, sine peculiari aliqua vi in pedum verbo intelligenda, plane vt Graecorum ἐν ποδῶν αὐτῷ, quod hinc natum et ductum est, vtque *Seruus Deiotari a pedibus legatorum* h. e. ab legatis, *abductus* dicitur apud Ciceronem pro Deiot. c. i.

Sed nihil impedit, quo minus aliud exemplum subiiciamus, quod cum superiori coniunctū sit, et simul iuuenes acuamus ad intelligendam eam, quam cum magno A. Schultensio Analogiam linguarum vocēm, praestantissimum interpretandi praeſidium, sed paucis cognitum apud nos aut usurpatum ex iis, qui interpretari libros sacros conantur, quando, qui se ad id negotium conserunt, plerumque ne vnam quidem mediocriter callent, ne dum plures ita, vt comparationem instituere, et ex altera alteri lucem accendere possint. Quemadmodum optimi Atticorum dicunt ἐν ποδῶν τοῦ ἑκποδῶν, vt vel redundet plane, vel sit e conspectu, e medio, eique contrarium ἐμπόδιον, vt coram, in conspectu significet: ita et vtuntur formulis ἐν πέρος, διὰ μέσον, ἐν μέσῳ, vt illa τῷ ἑκποδῶν respondeat, reliquae τῷ ἐμπόδιον, ἀνά μέρον denique et εἰς μέρον, aut plane redundent, aut simplicem praefentiam significant: quod etiam imitatur latina consuetudo, in primis poetarum, qui centies medianam rem dicunt πλεονασμόν, rem simplificiter, et quemcunque eius locum aut partem: vnde non erat, quare Burnmannus, Vir summus, in Aeneid. II, 240. vbi equus ille fatalis Troiae subit muros urbis, mediaeque minans illabitur urbi, mediae urbi referret ad minans potius, quam ad illabitur, quia vix ingressus erat muros, nondumque in medium urbem peruerenerat: non ignarus alioqui consuetudinis latinæ in hoc verbo. Nam urbs media nata πλεονασμὸν est urbis quicquid intra muros est, urbs ipsa et moenia, vt moenia media

dia IV, 74. *Media inter numina, inter numina, coram numinibus IV, 204.* vbi ineptit offensus ad id verbum Seruius. Sed hae formae prorsus respondent Hebraeorum consuetudini in verbis בָּרְךָ, בָּרַךְ, אָלֹהֶיךָ, מְתֻחָדָה, quae formulis istis exprimuntur a graecis interpretibus et scriptoribus Novi Testamenti, vt non dubitandum sit, quin e lingua Hebraica in Graecam illam, de qua dicimus, venerint. Nam et si omnes linguae habent multa necessario communia, quae non statim ex altera in alteram venisse debent putari: tamen in his ita impressa est, vt in multis aliis, nota et character quidam hebraismi, vt ex illo genere censeri non debeant.

Sed multo plura hebraismi vestigia sunt in Poetis graecis antiquioribus: nam de posterioribus, qui inde ab Imperio Graeci in Asia temporibus vixerunt, post dicetur: in Homero quidem tam multa, vt etiam quibusdam e libris sacris proficile videretur, haud pauca et in aliis, in Pindaro, in Tragicis, praesertim in Chori cantibus, in Choro Aristophanis Comico. Quibus ita vtuntur, qui dictionem atticam esse in N. T. defendunt, vt bene graecas et atticas esse istas formas loquendi, vbi occurrant in libris sacris, contendant. Ego quidem istas, aut omnes, aut maximam partem, e lingua hebraica originem ducere arbitror, neque magis pure graecas esse, aut in populari oratione usurpandas ei, qui attice scribere velit, quam quia Virgilii, aureae aetatis poeta, dixit, *it clamor coelo, os humerosque deo similis*, aliaque et ipse, et alii latini poetae, similia, propterea haec formulae non graecae, sed pure latinac iure putentur, et in oratione populari, de rebus humanis diuinisque, recte usurpentur. Non arbitror, exempla quemquam desideraturum. Magna copia est apud eos, quos dixi, scriptores, satis notos illos et obvios: vnde petent, qui volent. Ratio eius rei et causa quae sit, videamus.

Atticorum ultimas origines ex Oriente esse repetendas, ab iisque Graeciae illatam esse linguam, vel ipsam hebraicam, ut tum erat, siue, si quis ita malit, eam, qua in Oriente vti fuissent, non absimilem hebraicae, aut ab ea ortam, vix hodie quisquam in dubium vocabit: quippe etiam antiquissimos Atticorum iisdem, quibus in Oriente vterentur, literis vsos constat. Sed incredibile est, quantam vim habeat, vt ad ingenia vel acienda vel obtundenda, animos vel incitandos vel retardandos, mores denique fingendos, ita ad sermonem varian- dum, penitusque mutandum, aer, quem spiramus, terra, quam incolimus, vietus denique ipse moresque; praesertim, vbi nullis dum Grammaticorum legibus parere consuevit, quibus solis certus et constans reddi potest. Itaque etiam is, quem rudes homines ex Oriente attulerant, sermo ita est multorum seculorum decursu immutatus, vt in Orientem reuersus, veluti per colonos in Ioniā missos, non magis agnosceretur ab Orientali, siue matre, siue sorore, quam Orestē agnoscit in fabulis Electra soror. Sed vt Vlyssēm, quamvis ita per absen- tiam mutatum, vt a nemine suorum cognosceretur, tamen pro- didit cicatrix, et in fabulis etiam e naevis agnoscunt liberos matres: ita lingui illa prisca non potuit ita aboleri, quin non nulla sui vestigia relinqueret, retineretque formas quasdam di- cendi, praesertim, quae non nimis ab ingenio novo dissentient, vnde origo eius intelligi posset. Atque ex hoc genere arbitror esse ea, quae in Atticis veteribus, qui quidem profaica oratione vti sunt, reperiuntur, magis consentanea hebraicae rationi, quam vt non ab ea profecta putentur.

Neque vero mirandum est, multo plura reperiri eius- dem modi in poetis, praesertim sublimioribus, velut lyricis et tragicis, quam in ceteris scriptoribus. Semper hoc poetae sibi arbitrati sunt licere, vt non modo ex antiquioribus suae gen- tis scriptoribus assumerent verba et formas loquendi, quae du- dum

dum defissent vsu populi frequentari, sed etiam ex lingua ea, vnde suam natam constaret: vnde etiam docti sunt appellati. De latinis poetis notius est, quam vt demonstratione indigeat, quam multa ex antiquis poetis gentis suae, qui propriores originibus linguae suae suisserint, quam multa e graeca lingua, vnde latinam natam scirent, sumserint. Quod illos non dubitem exemplo er auctoritate graecorum poetarum fecisse. Nemo, vt opinor, primum Homerum, putat, carmen probabile in eo genere scripsisse, primum Pindarum odas. Multos ante suisserint, dubitari non potest, quos aut aetas aboleuerit, aut horum gloria obscurarit; qui, cum essent minus remoti ab originibus Graecorum, plures linguae Orientalis reliquias, sublata tum ex vsu vulgari loquendi, habuerunt, e quibus posteriores, quae viderentur, decerpserunt. Neque repugnauerim valde, si quis et Homerum, doctissimum hominm, et alios, de more illorum temporum, peregrinatos per Asiam, incidisse in libros hebraicos, atque inde hausisse putet. Erat autem, lyricae et dithyrambicae poesi tanto accommodatior illa hebraica consuetudo loquendi, quod haber permulta, ex Orientalium populorum indole, in quibus extollitur altius, quam Europaeorum fert ingenium. Atque ex illo ipso dithyrambico genere fere sunt Carmina Chori tragicci et comici, usurpatissim etiam cum Lyricis Doricam dialectum, vel antiquitatis causa, et doctrinae iactatione. Nam etiam post quidam, vt Scholiares Aristophanis ait ad Nubes v. 248. διὸ πολυμάθεαν ἐδώπιζον: eruditissimae ostendandae causa dorice loquebantur aut scriberabant. Itaque plura Chori habent huiusmodi, quam reliquae fabularum partes. In quo, sicuti in aliis, desiderare soleo diligentiam usurpatum scenicorum poetarum auctoritatem. Quae apud Aristophanem personae, velut in Nubibus Socrates, Strepsiades, Phidippides, colloquuntur, ea, concedo, esse eiusmodi, vt hinc, quid pure graecum, atticumque sit, doceri possit, si exceperis verba comica, vt βρεφέσθαι, et ea, quae,

B 2
non

XII

non tanquam probet, sed ut rideat, velut inepte dicta ab aliis
suae aetatis poetis, ponit, quae sunt non pauca, etiam in
ipsis Choris, vulgo tamen in Lexicis sub Aristophanis nomine
posita, et hac auctoritate probata. At de iis, quae in Choris
aut precationibus occurrent, secus iudico. Πῆγας Φωνὴν etsi
apud Aristophanem bis est in Nub. 357. et 956. tamen pure grae-
cum, et in prosa usurpandum negem. Est enim loco priori in
allocutione Dearum, in altero autem in carmine Chori, ductum
ex hebraica haud dubie lingua, e qua *oi ó* ad verbum exprefſere.
v. Grotius ad Galat. IV, 27. Itaque et Latini, etsi in carmine
candem formam imitari non dubitarunt, tamen in proſa nun-
quam ſic dixerunt. Est enim contra bene pureque ſcribendi legem.
Ex quibus, quid talia loca ad puritatem sermonis probandam
valeant, ſponte intelligitur.

Si quis libros eorum, qui operam suam ad phrasim N. T.
a scriptoribus graecis vel illuſtrandam vel vindicandam contule-
runt, attente legat, animaduertat facile in haud paucis, exem-
pla petita eſſe ex iis ſolis, qui ſublata, cum libertate Athenien-
ſium, priſca illa attica puritate et elegantiā vixere, ſub Seleuci-
dis et Lagidis, imperioque deinde Romano. Id negant Ga-
takerus et Solanus recte atque ordine fieri, neque has aucto-
ritates concedunt ad puritatem orationis graecae afferendam
ſatis valere. Quodſi puritas graecae linguae illorum veterum
Atricorum, ut latinae ex aureae aetatis, quam vocant, viu-
iudicari debet, haber eorum ratio, quo ſe tueatur. Sed hoc iam
nihil ad nos. Illud quaerere lubet, unde illa tam multa in his
poſterioribus, quorum nullum in iſtis Atticis vestigium com-
pareat, multa contra in versione V. T. graeca, itemque N. T.
libris? Fallarne multum, ſi ea illi ipſi versioni graecae, omnino-
que Iudeis et confuetudine loquendi hebraicae deberi dicam?
Satis conſtar, auctore Iosepho, Seleucidas inuitasse Iudeos,
praemiis propositis, ad ſedes fortunarum in iis vrbibus ponendas,
quas

quas ipsi condidissent, et quam colerim frequentari cuperent: itemque Lagidas magnum eorum numerum in Aegyptum vel deuocasse, vel per vim abduxisse. Postea quam vero C. Julius Caesar Iudeis hoc dedit, ut in vniuersis imperii Rom. vrbibus sacra sua exercere, nemine impediente, possent, nemo ignorat, nullam Asiae, Graeciaeque urbem, praesertim quae esset mercaturae exercendae opportuna, fuisse, in qua non plures Iudei habitarent. Quid igitur? Cum iste homines graece loqui coepissent, non ab idoneis magistris instituti, id quod eos omni modo fugisse, tradit Iosephus, sed quantum vsu qualicunque consequi potuissent, (in quo non poterat fieri, quin multa dicerent e consuetudine linguae hebraicae et versionis sacrorum librorum graecae) multumque consuetudinis haberent cum Graecis; an improbabile est, ac non potius valde verosimile, multa ab iis fluxisse in ceterorum orationem, multaque per eos inuenta esse in linguam graecam, quae a prifica ratione abliorarent? Galli, qui per Caesarem in urbem Romanam induci sunt, tam breui tempore peregrinitate infecerunt linguam latinam, vt iam Ciceroni de eo querendum videretur: ab Iudeis autem per tot annos immo secula, nihil infusum linguae graecae credibile est? Non tam facile colorantur, qui in sole ambulant, aut in corpora morbi a contactu transeunt, quam linguae aliquid trahunt a contagione aliarum. Postquam religio Christiana venit ad Latinos, quam multa in eorum sermonem venere e latina versione sacrorum librorum? Ipsa vernacula nostra, incredibile est, quot hodie habeat ab aliarum linguarum consuetudine ducta. Quam plena est primum verbis et phrasibus, quae ex latina germanicaque versionibus librorum sacrorum, nimis verborum hebraicorum et graecorum retinentibus, irrepsere; quorum peregrinitatem hodie vix quisquam sentit: quam multa traxit e lingua Francica, per consuetudinem legendorum librorum, qui ex ea lingua male in nostram sunt conuersi? Nuper coepit est in philosophia voce literisque tradenda usurpari vernacula nostra: et verba formae-

B 3

que

XIII

que nouae loquendi, philosophorum ingenii repertae, iam etiam plebi in concionibus audiendae sunt. Itaque nihil mihi videtur verosimilius, quam per Iudeos, cum Graecis, omnibus in locis celebrioribus, consuetudine, re, rationeque, dum ibi negotiantur, et per domos omnes, de more suo, quem nunc etiam videmus, cursitant, coniunctos, plura in linguam graecam venisse, quae in antiquioribus illis Atticis non reperiantur. Ut nihil dicam de Graecis eruditis, qui libros sacros nostros legerunt, atque ea, quae placent, imitati sunt (habet enim profecto lingua hebraica suas Veneres, dignas imitatione) siue per negligentiam, vt sit, ac temere adsumserunt.

Sed haec, vt arbitror, vestigia linguae hebraicae sunt in singulis verbis formulisque dicendi animaduersa. Quid vero? An etiam in habitu et velut forma totius orationis aliquid eiusmodi animaduerteritur? Saepè miratus sum, viros doctissimos, cum de Stilo N. T. vt vocant, in utramque partem differenter, hanc partem, quantum ego quidem repererim, non attigisse, solis verbis et phrasibus expendendis voluisse contineri. Atqui etiam in hoc linguae inter se maxime differunt. Qui volet docere, scriptores diuinos non minus bene graece scripsisse, quam veteres illos Atticos, aut saltem alias probabiles scriptores Graecos posterioris aetatis, hoc vel maxime debet ostendere, formam orationis, hoc est, modum narrandi ac differendi, colligationemque singularium partium ac membrorum, enunciationes dialectic vocant, esse eandem in Nouo Test. et ipsis, quos dixi, scriptoribus. Puerorum, atque aliorum imperitorum, hic error est, existimare, qui verbis et phrasibus Ciceronis utatur, eum Ciceronianum, immo Ciceronem alterum esse. Utinam tam facile Cicerones fierent, multos singulis annis efficerem. Si latina illa diuinorum librorum Verio, quam Vulgatam appellamus, multos Boios vindicetur, vt nullum in ea verbum, nulla phra-

XV

phrasis relinqueretur, quin auctoritate boni et veteris scriptoris se tueretur: aut si quis eam plane resfingeret, et omnia verba Ciceroniana efficeret: tamen ipsa Ciceroniana non esset. Si quis ex Herodoto deleret, quicquid ibi dialecti Ionicae est, substitueretque Atticae verba, et contra in Xenophontis libro aliquo efficeret verba Ionicae dialecti omnia, tamen hunc Atticum scriptorem agnoscere, illum non item. Forma enim vniuersae orationis in utroque est eiusmodi, ut ille nullo modo Atticus esse possit, hic sit necessario. Itaque hoc nomine maxime produnt ignorantiam Graecissimi, qui pro elegantia graeci sermonis N. T. pugnant, et nihil ibi esse volunt hebraicae confuetudinis: cum tota illa orationis compages, et forma narrandi in primis, sit hebraica, h. e. simplex, nihil artificii habens, qualis esse solet expertum artis dicendi, a Graecis inventae, non graeca, multo minus attica, sicuti in versione vulgata non est latina. Ei nihil apud Graecos vspiciam simile est: nisi quod ab ea minus abhorret Herodotus, quam qui post eum de rebus gestis scripsere.

Haec igitur de arguento proposito, hoc tempore, dicta sunt. Sed idem Plutarchi libellus, qui mihi haec scribendi cogitationem iniecit, argumenta Orationum suppeditauit sex alumnis disciplinae nostrae

A V G . C H R . L A N G V A G E N I O , Tor-
gauensi

C H R . F R . H A R N I S C H I O , Pretschensi

C H R I S T . T H E O P H I L O F R E G I O ,
Offitiensi

P O L Y C A R P O L E B R E C H T L E C H L A E ,
Haenicheni

I O H .

XVI

IOH. CHRIST. PEZOLDO, Leucopetrensi.

IOH. GOTTLÖB MENDIQ, Illeburgensi.

Demonstrare conabuntur, quanta benignitas et sapientia diuina
cernatur in eo, quod tanta laudis dulcedo atque cupiditas insita
sit animis humanis: quantam adeo pestem priuatim adulato-
res, bonis laudis corrumpendis, publice obtrecentores laudis alie-
nae, acerrimo virtutis stimulo subtrahendo, adferant: quanto
elegantiores in laude expetenda sint artifices, musici, pictores,
quam oratores atque poetae, quod hi fere populi, illi peritorum
laudes expertant: omnem laudem prudenti homini debere esse
suspectam: Solam Conscientiae laudantis vocem esse audiendam.
Ad hos igitur audiendos, ut frequentes conueniant, qui bonis
literis, iumentuti ad rei publicae spem succrescenti, Scholae
denique Thomanæ fauent, vehementer rogamus.

L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEMIA.



Na 32.

vd 18

ULB Halle
005 367 468

3







PROLUSIO
DE
VESTIGIIS LINGVAE HEBRAICAE
IN LINGVA GRAECA
PRAEMISSA
ORATIVNCVLIS VI
IN
SCHOLA THOMANA
A. D. IX. MAII HOR. IX. A. CIDIICCLIII.
RECITANDIS
AD QVAS AVDIENDAS
PATRONOS ET FAVTORES
HUMANISSIME INVITAT
RECTOR
IO. AVGVSTVS ERNESTI